



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 1. De Concupiscentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid; si perde nummos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus redimere.

CAPUT II.

DE RADICIBVS PECCATORVM.

HÆ ad duo genera reduci possant, nimirum ad Concupiscentiam & Voluntatem propriam; de quarum priore S. Jacobus c. 4. dixit: Unde lites in vobis? Numquid hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? de posteriore verò Abbas Aehilles, quæsitus, quomodo Dæmones pugnent adversus Homines? respondit: Per voluntates nostras. De his ergo quid Ascetæ peculiariter sit sciendum, hoc capite dicetur.

§. I.

De Concupiscentia.

I. Est inordinatus appetitus rerum caducarum, & terrenarum; de qua quatuor præcipuè nôsse, & bene advertere debet Asceta.

II. Primum est, ut bene apprehendat, quantopere referat, hanc concupiscentiam rectè moderari; id quod S. Leo sequentibus verbis expressit: Virum Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem, sicut nullo implicari errore; ita nullâ oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ avida (aut cujuscunque alterius rei terrenæ) nec abstinere novit à vitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. Certè miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, inquit S. Bernadus, si pro tam exiguis tanta patiamur detrimenta. Quid enim insipientiæ, imò quid insaniæ

niæ est, ut, qui majora reliquimus, minora cum
to discrimine teneamus? quis stultum, inquit alius
non judicaret Mercatorem, qui, ut unionem in
mabilis pretij compararet, jam multa millia floren
rum expendisset, & postea, ne unum adhuc ob
dare deberet, totum contractum rescinderet?

III. Secundum est, ut bene cognoscat, quomodo
concupiscentiam debellare possit & debeat; nam,
rectè dixit S. Augustinus, concupiscentia minui potest
consumi non potest in hac vita. Unde bene in
passionem & propassionem distinguere oportet, na
passio sola in vitio est, quando scilicet consensus pro
betur inordinatæ concupiscentiæ; propassio vero
quâ animus ad consensum incitatur, licet initium co
pæ habeat, tamen non tenetur in crimine, ut rectè
S. Hieronymus dixit. Et hoc videlicet est, quod DEUS
olim Caino dixit: Sub te erit appetitus tuus, & tu de
minaberis illius.

IV. Tertium est, ut solidum sciat modum mode
randi & vincendi hanc concupiscentiam, qualem qu
dem efficaciter S. Augustinus sequentibus verbis sug
gessit: O Ecclesia, caput serpentis observa. Qu
est caput serpentis? prima peccati suggestio. Veni
tibi in mentem aliquid illicitum, noli ibi tenere men
tem tuam, noli consentire. Hoc, quod venit in men
tem, caput serpentis est, caput calca, & evades cæte
ros motus. Quid est, caput calca? ipsam suggestio
nem contemne. Sed lucrum suggestit, magnum
ibi lucrum, magnum aurum, dives eris, si hanc frau
dem feceris. Sed pereat mundi lucrum, ne fiat ani
mæ damnum. Quid prodest homini, si universum
mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum pa
tjatur?

tiatur? Hæc dicens observâsti caput serpentis, & calcâsti. Ille autem Diabolus calcaneum tuum observat. Quid est, observat calcaneum tuum? quando labaris à via DEI. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum: si cecideris, possidebit.

V. Quartum est, ut non difficilem sibi, sed facilem potius imaginetur hanc luctam & victoriam; id quod nonnemo pulchrè hâc similitudine ostendit. Finge, agebat, Juvenem ad amores pronissimum turpissimæ Æthiopiæ adhæsisse, & ex illius consortio gravissimos morbos contraxisse, sed & totius substantiæ ac famæ suæ jacturam fecisse; hujus autem misertum Regem, aliam ei formosissimam Virginem Æthiopiæ loco offerre, promitteréque, se & à morbis eum curaturum, & omnem substantiam ac famam restitutum, quin & milledulpo plùs adjecturum; an prudenter judicari posset, difficilem fore huic Juveni Æthiopiæ repulsam, & Virginis speciosissimæ electionem? atqui similiter se res habet cum eo, qui inordinatam rei alicujus concupiscentiam fovebat, & cui loco talis creaturæ ipsa Divinitas amanda offertur; hinc meritò S. Bernardus dixit: Nihil in hac vitalaboriosius, quàm desiderijs terrenis æstuarè: & nihil hîc quietius, quàm hujus sæculi nihil appetere.

§. II.

De Voluntate propria.

I. Est illa, quæ non est communis DEO, & Homini-
bus, sed nostra tantùm, quando scilicet, quod volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem Pro-
ximi,